



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. I. Quid per alios contineri voluntates posterorum in voluntate Adami?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

sententiam Cyrilli L. 3. in Julian. Chrys. Homil. 16. in Genesim Aug. L. 2. de Genesi contra Manich. c. 15. Ruperti. Rabani, &c. quod mulier videns se non mori, crediderit Deum mentitum fuisse, & ex invidia prohibuisse esum, gravius illa peccavit præ Adamo. De quo licet quidem entunt Tertull. L. advers. Marcion. c. 2. *Quis dubitabit, inquit, ipsum illud Ada delictum Hæresin pronuntiare, quod per electionem suam potius, quam divinæ sententiæ admisit*: quia tamen per August. objectum erroris fuit, existimare veniale fore, si contra præceptum Dei de fructu illo comederet, ne sociam contristaret; sic indubiè minus fuit peccatum Adami. de qua materia vide Bellarm. L. 3. de pecc. orig. cap. 5. Cæterum ratione damni quod incurrendum erat peccato ab illo commissio, cujus damni interminatio spectabat nonnisi ad pactum cum Adamo. hoc sensu gravius ejusdem culpa fuit.

PRÆMITTO 5. *Quid sentiendum de his qui præter Beatissimam tribuunt aliis, quod sint sine peccato originali concepti*? De his discurret sic Oviedo Controv. l. n. 1. Aliquem excipere sine fundamento à propositione virtuali revelata, non solum est temerarium & erroneum, sed manifestè hæreticum. est enim negare immediatè in se ipso revelatum. Sed revelatum est, omnes posteros Adami exceptâ Beatissimâ in Adam mortuos. Ergo. Neque audiendæ sunt revelationes: sunt enim corruptæ & fictitiæ. Hæcille. *His præmissis sit*

DIFFICULTAS I.

Quid per Alios contineri voluntates posterorum in voluntate Adami?

ESSENTIA peccati originalis nequit bene explicari, nisi præcognoscatur quid sit voluntates posterorum fuisse alligatas, vel contentas in voluntate Adami. *Est autem in duobus difficultas. In primis.* Quia Trid. sess. 5. can. 3. docet: Peccatum originale inesse unicuique proprium. & Sess. 6. c. 3. propagatos ex Adamo propriam injustitiam contrahere. Jam autem videtur, si proprium peccatum est, originis non est. si originis est, quomodo jam proprium unicuique est. *Secunda est difficultas.* Omne peccatum est voluntarium. Ergo & aliquod peccatum est voluntarium. Ergo & originale erit voluntarium. originale autem non apparet qui sit voluntarium. non enim est voluntarium physicè: quid enim mihi non existenti est voluntarium physicè? non etiam voluntarium moraliter: quia si non præsupponatur aliquis actus in ante physicus, quomodo illud spectabit ad me moraliter in ratione voluntarii?

EXPLICATI. Hanc Difficultatem Oviedo Contr. 9. n. 14. Ponitq; duplex in præsentia cogitari posse voluntarium. Primum. Si illud peccatum nec physicè nec moraliter in se, dica-

tur ipsis esse voluntarium, sed tantum in capite, scilicet primò parente, qui non solum fuit caput physicum in ordine ad propagationem, sed & morale ex pacto, vel ex decreto, de danda vel neganda gratia dependenter à libertate Adami observantis, vel transgredientis præceptum. Secundus est modus. Si quod Adamus voluit physicè, parvuli dicantur voluisse moraliter, diciturque esse difficultatem in hoc secundo modo. Adjungit postea, quod plurium voluntates possint moraliter unius voluntati alligari; ita ut quidquid illi cui alligatæ sunt aliorum voluntates fecerit, reliqui ratum habeant, ac si ipsi fecissent. Ita fit cum plures ejusdem voluntati se committunt. cum celebratur matrimonium per Procuratorem. imò id fieri potest etiam si quis liberâ voluntate suam voluntatem alteri non commiserit, idque possunt præstare superiores respectu subditorum, in illis actibus, in quibus inferiores illis subduntur: ita à publicis potestatibus solent alligari minoræ voluntates voluntatibus tutorum. Cum ergo Deus sit omnium supremus Dominus, potest in ordine ad quemcunq; effectum cujusvis voluntatem alligare voluntati alius. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Primarium punctum hujus difficultatis non enodat, quid sit illa transfusio? quid ponat tunc illud dominium supremum Dei transfundens voluntates? Tum quia. Instantiæ quas adducit, non convincunt: Nam quando plures se unius voluntati committunt. vel cum per Procuratorem contrahitur matrimonium, semper intercedit actus proprius, qui continet approbationem physicam actus physici alieni; intervenit enim hic aut similis actus. volo hæc, quæ tu volueris, quæ volitio, est etiam volitio ejus quod ille alius voliturus est. Quod attinet ad voluntatem superiorum, id etiam non convincit: quia id vel intelligitur de subditis adultis, vel inaduldis. si de adultis, intercedet etiam tunc actus proprius universalis volendi id omni, adeoque & aliquid quod superior rationabiliter voluerit; daturq; sufficiens, vel ex hoc ipso fundamentum, ut præsupposito illo actu physico, moraliter dicatur voluisse id, quod vult superior: quia volitio universalis, est volitio particularium, licet confusa. Si autem sit res de subditis non adultis, alligatio illa voluntatum tota referri debet in Jus altum Reipub. disponentis de bonis subditorum etiam illis invitis, modo id sit necessarium ad gubernationem politicam: si enim tale Jus non existeret, multa sequerentur incommoda in Republica rationali. Cæterum in hac occurrentia factum quod ponitur, non dicitur esse factum proprium minoræ, sed dicitur factum ex dispositione juris; & tamen originale dicitur esse proprium unicuique peccatum, Jure autem alto Deus non utitur in vitis suis subditis, & cum tota illa moralitas agendi rejiciatur

tur in ius altum, ex altera parte tota ratio originalis, non debet rejici in dominium Dei; hinc quamvis censetur aliquid esse voluntarium subditis ratione alligationis voluntatum eorum qui subditi, ad voluntatem superiorum, alligatione facta à jure alto, cum hoc jure alto non utatur Deus, in actionibus consensibilibus, id est hac alligatio voluntatis posterorum Adami, in Adamo non potest salvari per alligationem voluntatis subditorum, in superioris voluntate. Tum quia. Ratio gratiæ efficacis vel peccati, non recte rejicitur in dominium Dei. Ergo nec ratio originalis rejici debet in dominium alligatis voluntates: præcisèq; ratio domini habet qui dem potestatem disponendi ut voluerit, si patitur res dominatum, sed quomodo in ordine ad hoc patitur dominatum voluntas posterorum, quæ nullo modo est; ita ut non illi dominationi tribuatur culpa, sed ipsismet potestis.

EXPLICAT 2. Arriaga. d. 5. n. 24. Quia sci- licet, Deus transfundit voluntates omnium posterorum moraliter in voluntatem Adami: quod & ipsum præter adlatas ab Oñedo Instantias, ita explicat. Quia etiam talis transfusio fit in materiis supernaturalibus: quia etiam Christus Dominus suam voluntatem transtulit in Ministros Sacramenti, id est moraliter censetur velle Christus quod Ministri volunt. Unde per August. Tr. 5. in Joan. dicitur Dominus ipse baptizans; moraliter etiam dicit Christus illa verba, Hoc est Corpus meum &c. recurritq; sub finem ad dominium Dei. *Hec Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia Punctum principale in quo est difficultas non attingit, de hoc enim ipso quæritur, quid sit transfundi voluntates posterorum in voluntatem Adami? Tum quia. Instantia allata de Christo non convincit: facile enim capimus illam alligationem voluntatis Christi: quia scilicet habuit Christus humanæ actum. Volo ut omnes qui baptizati fuerint, sint justificati: & volo quoties prolata fuerint verba Consecrationis, confici Corpus meum. quo actu physico posito, eoq; universalis, omnes baptismationes, & Consecrationes attingente, fit ut moraliter perseverans ille actus fundet denominationem hanc moraliter agentis Christi. Simile autem quid in præsentis ostendi non potest. Tum quia. Loquendo de illis, quæ sunt lineæ & ordinis, qui est voluntarium, tunc tantum recurritur ad supremum dominium Dei, quando agitur vel de cogitationibus, quæ appellantur ab Aristotele Bonæ fortunæ, vel cum agitur de selectione hujus potius quam illius compingendi offerendi voluntati, aut individui hujus potius quam illius determinatione, quæ omnia salvâ libertate perficiuntur à domino Dei: quia autem nihil prædictorum importat transfusio voluntatum, fit ut hæc transfusio salvâ libertate, in dominium Dei re-

ferri non possit. Deinde augetur per hoc difficultas: quia vidit Deus tales multos qui primum ad usum rationis venientes, & interrogati, vellent ne disobedi- re circa esum poni, responderent: non. quomodo talibus voluntarium est peccatum, & non accidit invitis?

EXPLICARI potest 3. ex istis quæ idem Auditor adfert. Discurrens de constitutivo originalis n. 17. Supponit tanquam principium evidens in genere moris, quod multa quæ physice extrinseca sunt, aut jam præterierint, reputari tamen possint ut quid intrinsecum, & actu præfens, absoluteque dici proprium. sic quando verbis contumeliosis afficitur quis, etiam si illa nihil physicum transfuderint in contumeliam, dicitur contraxisse infamiam, etiam prosequenti tempore. quid enim communius quam honorem tanquam aliquid intrinsecum & proprium sibi reputare? Quod ulterius in hoc fundatur: quia aliquando res extrinseca physice eodem modo operatur, ac si esset physice intrinseca, consequenter eò ipso, quod voluntates nostræ fuerint transfusæ in voluntatem Adami, reputatur moraliter voluntas Adami, ac si nostra. Quando autem Triden. ait, Originale esse unicuique proprium noluit illud esse magis proprium, quam Veniale habitualiter permanens, quod non privat gratiâ, sed tantum infert, quod sit commissum, & moraliter duret. Unde jam pro explicanda proprietate originalis, non erit necesse recurrere ad privationes intrinsecas, sed per moralem inhaesionem rei intrinsece melius id explicatur. *Hec Explicatio*

NON SATISFACIT. Quia rationem illam proprii & rationem sequentis morali inhaesionis infundat huic principio, quod est nostras voluntates esse moraliter transfusas in Adamum, de quo ipso quæritur quid est moraliter transfundi. Tum quia. Aliud est quærere, An actio mihi extrinseca, & peccatum alienum possit eundem effectum præstare, quem præstat mea actio, de hoc enim non est difficultas: Cur enim non potuisset Deus dicere: si peccaveris, & à te & à posteris facies auferri gratiam. Sed hoc non explicatur quomodo aliena actio, in ordine ad merendum vel demerendum possit esse mea ut dicatur mihi propria. Tum quia. Concedo verba contumeliosa auferre honorem, qui est extrinsecus, & tamen se habet quasi qualitas moralis intrinseca. Sed si ego non mandavi, non consului, non extiti, quando alius dishonorabatur, quomodo illius dishonorationis sum causa, estq; mihi propria illa dishonoratio? quod item veniale imputetur mihi, facile concipitur: quia præcessit physice. quid autem meum physice præcessit dum committebatur originale?

EXPLICANT 4. alii apud eundem Arriaga. Quod Deus voluerit dare Adamo gratiam per modum proprietatis naturæ sine ullo pacto de trans-

LOD
75 Ki
e. Z.
I

transfusionem ejusdem in posteros, quæ proprietatis est amissa in Adamo sicut nobilitatem Parentis amittunt filii Patre infamiam contrahente. Addunt ratione continentiae physicae posterorum in Adamo illos peccasse in ipso, inferuntque ulterius nullum de potentia absoluta posse contineri in alio ad peccandum, nisi sit ab illo nasciturus, inferuntque, ratione continentiae physicae, quemlibet parentem esse caput posterorum, consequenter peccatum parentis sufficere ut possit imputari filiis. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Tum quia, quod dicitur dandam fuisse illis gratiam per modum proprietatis naturalis, vel isto sensu dicitur, quod jam illis esset debita tanquam proprietatis naturalis, & hoc non: quia hoc ipso non esset Gratia illa supernaturalis, utpote debita: universaliter enim assumitur cum Aug. Gratia non esset, si debita esset. Si autem hoc sensu dicatur futura fuisse gratia proprietatis naturalis: quia unusquisque esset nasciturus cum gratia; propositio est vera sed non explicatur intentum, quomodo scilicet originale sit unicuique proprium, quid sit voluntates nostras transfundi; &c. aliud enim est dicere quod gratia fuisset propagationi illi adjuncta, & aliud quomodo amissio illius gratiae sit voluntaria, & proprium peccatum uniuscujusque ex posteris. Tum quia. Potuisset Adam esse caput physicum, & non esse caput morale, nec fundare hoc, ut in posterum datur gratia per modum naturæ, quæ enim in hoc implicat? Ergo in aliud principium referri debet quod sit caput morale, & non in hoc quod fuerit caput nostrum physicum. Supponuntque ordinari Theologi, si alio peccato peccasset Adam, non fuisset secuturum originale. Ergo supponunt solam continentiam physicam non salvare originale. Tum quia, nascimur ex parentibus in quibus continebamur physice, & tamen non maculamur peccatis eorundem: neque enim filius portat iniquitatem Patris. Ergo apparet solam continentiam physicam non fundare originale. & si connaturale est, ut inficiamur peccatis parentum, facit Deus contra naturam peccatorum, quod peccata Parentum non inficiant posteros, quod durum videtur.

NON SATISFACIT 2. ex Arr. quia hoc quod est dari gratiam per modum, proprietatis naturæ debet provenire à singulari Dei volitione: Nam gratia semel data, non apparet quæ in alium transire possit: neque enim transit à subiecto in subiectum, neque per semen est sui diffusiva physice. Ergo debet intercedere pactum saltem implicitum, quod negabatur.

NON SATISFACIT 3. Quia continentia physica est ad hoc impertinens, tam enim Setus continet physice Adamum, utpote qui illum generare potuisset; quam Setum Adamus. quod autem id de facto non fuerit factum, non immutat veram continentiam physicam.

EXPLICAT 5. Vasq. d. 133. c. 2. Eo ipso quod Deus fecerit Decretum de danda gratia Adamo, si non peccaret, ejusque posteris, sine ulla majori pacto contrahimus originale. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Quia non salvat verba Trident. Ostendit enim quomodo caremus gratiâ, sed non ostendit quomodo hoc peccatum sit proprium posterorum: poterat enim peccatum Adami esse conditio sine qua non ablationis gratiæ, quin intercederet tunc peccatum proprium posterorum in capite; ad eum modum quo filii parentis infamis in pœnam parentis privantur nobilitate; neque tamen dicuntur hinc proprii filii in parente peccare, quod pluribus urget Arriaga.

Attigit hanc difficultatem S. Thomas hic, q. 81. a. 1. dicitque quod motus membrorum proprii & verè reputantur peccatum, quando imperantur à capite, ita moraliter peccatum Adami est proprium nostrum, eo quod Adam fuerit caput nostrum. *Hæc Explicatio ut sonat accepta.*

NON SATISFACIT. Quia inchoat nonnulli explicationem, quod scilicet Adamus sit caput nostrum morale. restat autem querere, quid sit istud caput morale, nec de hoc voluit discurre S. Th. Tum quia. Duplex potest series actionum hic cogitari in primis comparando motus membrorum ad caput, secundò, motus capitis ad membra. circa primum, motus membrorum imputantur capiti tanquam directivo, & imperanti, & de hoc in præfati non est difficultas: cum actiones nostræ non imputentur Adamo. quod attinet ad secundam comparisonem, nunquam motus capitis membris imputantur si illa se non moveant. Unde restat explicandum, quomodo hic motus capitis imputetur membris. Tum quia, non apparet vis hujus rationis. Motus membrorum imperantur capiti. Ergo & motus Adami tanquam capitis est motus proprius membrorum. erit ergo penitus investiganda mens S. Thomæ.

DIFFICULTAS II.

Explicatur ista continentia voluntatum.

PRÆMITTO 1. Peccatum originale non potest esse peccatum proprium posterorum physice.

RATIO. Cum enim non existerint posterii physice; quomodo peccarunt physice? debet ergo esse proprium moraliter: quia non est jam alius proprietatis modus. Quæ ipsa proprietatis moralis quomodo explicari debet.

PRÆMITTO 2. Quod non debeat explicari recurrendo ad scientiam conditionatam. quod Deus præviderit v. g. posteros etiam comesturos fuisse veritum fructum: Nam non esset ratio, Cur deberent dici ita peccasse, quin etiam debe-